

sione pro generis humani redemptione pendens in cruce decoravit mirifice, tota mentis intentione studiosius debet intendere pariter et invigilare; cuius cultu, cuiusque nutu, cuiusque rationibus prospera regibus cuncta succedunt et accedunt; nam de moerore cum gaudio provenit ipsis laetitia, et tristitiae redeunt solatia, de nebula svavis aura prodit et nimium dulcorosa, et de hoste seu hostibus consurgit victoria simul et triumphus; et omnino terrestria in coelestia feliciter commutantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quia Serenissimo Principe Domino Ludovico eadem Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae etc. Rege, Genitore nostro charissimo, laudandae recordationis, volente Domino coeli, cuius nutu omnia reguntur et disponuntur, absque prole masculina de medio sublato, nobisque iure successorio et ordine geniturae solum et coronam dicti regni Hungariae ac sceptrum regiminis ipsius Genitoris nostri feliciter adeptis, fidelis noster specialis Capellanus, venerabilis in Christo Pater Dominus Chrysogonus, praemissa et apostolica gratia Episcopus Ecclesiae Traguriensis, ad nostrae serenitatis accedendo praesentiam, nostrae humiliter supplicavit Maiestati, ut quia dicta Ecclesia Traguriensis sub vocabulo gloriosissimi Christi Martyris Laurentii constructa, foret Cathedralis, et hactenus sigillo caruisset authentico; ideo de benignitate reginali eidem Ecclesiae et suo Capitulo sigillum, quo perpetuis temporibus Canonici seu Capitulum ipsius Ecclesiae Traguriensis uterentur, dare et concedere dignaremur; sicut aliae etiam cathedrales Ecclesiae regni nostri sigillis gaudent et fruuntur. Nos itaque vestigiis priorum Praedecessorum nostrorum, olim illustrium regum Hungariae beatissimarum recordationum, qui tam Ecclesias chatedrales et collegiatas, quam alias regni nostri, diversis libertatum praerogativis et privilegiis decorarunt et regia liberalitate refoverunt, inhaerentes, supplicationibus praefati Domini Chrysogoni Episcopi, quem in cunctis nostri et regni nostri negotiis prosperis et adversis iuxta nutum nostrae voluntatis semper sagacem, et solertem ac fidelem reperimus, favorabiliter inclinatae, volentes sibi de benignitate reginali complacere, potissime etiam ob spem et devotionem nostram, quam ad ipsum gloriosissimum Christi Martyrem Laurentium gerimus et habemus, provida deliberatione una cum excellentissima et Serenissima Principe et Domina Elisabeth, praemissa Dei gratia regina Hungariae, Poloniae, Dalmatiae etc., genitrice nostra percara, nec non praelatis et Baronibus regni nostri praehabita, sigillum novum, quo Capitulum et Canonici memoratae Ecclesiae cathedralis Beati Laurentii Martyris de Tragurio perpetuis temporibus potiantur et utantur, in quo imagines infrascriptae, videlicet B. Laurentii Martyris, tenens craticulam in manu, in habitu Levitarum, ac duorum Angelorum, a dextris et sinistris ipsius imaginis Beati Laurentii, flexis genibus cereos in manibus gestantes, ac inferius circa pedem ipsius imago unius Episcopi induta pontificalibus et flexis genibus tenens baculum pastorem in manu, sculptae habeantur, ex desiderio affluentis nostrae Maiestatis ad dictam Ecclesiam Cathedrallem ipsius Beati Laurentii Martyris de Tragurio, perpetuo duximus concedendum; committentes, et de plenitudine nostrae potestatis sacientes, ut dictum sigillum ipsius Ecclesiae et Capituli Traguriensis a modo et deinceps autenticum habeatur, et eidem, a litteris omni veritate scribendis et conficiendis sub eodem, indubitata fidei certitudo per omnes regnicolas nostras tam in iudicio, quam extra adhibeatur. In cuius rei firmitatem memoriamque perpetuam praesentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis et autentici sigilli nostri munimine